



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aphorismi Confessariorvm Ex Doctorvm sententijs collecti

Sá, Manuel de

Coloniae, 1610

Bona

urn:nbn:de:hbz:466:1-41645

3 Blasphemans inaduertenter, ita vt si aduerteret, non faceret, non peccat mortaliter. Quidam tamen putant ex consuetudine blasphemare etiam inaduertenter, esse mortale, quod non est improbable.

* *Nau. l. c. ex D. Thom. Syl. Blasph. 4. Fu. 1. Caie. eodem. vers.* Qui aduertens blasphemat, leuitate materiae non excusatur: quaelibet enim falsitas graui Deum iniuria afficit. *Val. t. 3. d. 1. q. 13. p. 1.*

Addit. 3 Blasphemare, est de Dei excellentia detrahere, falso dicendo inesse Deo, quod non inest, vel non inesse, quod inest, idque animo derogandi supremo illi Numini: blasphemat etiam qui mente, aut voce Dei proprium creaturae attribuit. *Vide Val. l. c.*

Quando aliquis non serio, non ex indignatione Deum laedente, sed ioco, aut fine alio (vt ad docendum) de Deo aliquid falsi dicit non blasphemat, *Val. l. c.* Quae regula perpendenda.

Vera dicere de Deo, aut Christo irrisorie, aut cum indignatione blasphem. est, si irrisio, aut indignatio ad Deum spectet. *ex Val. l. c.*

B O N A.

1 Bona mobilia dicuntur, quae commodè seruari non possunt ultra triennium, vt frumentum, vinum, oleum.

* *Fum. Alienat. num. 10.*

2 Pecunia

2 Pecunia inter mobilia reputatur.

* *Panor. in c. nulli de reb. eccl. non alieu. Fu. l. c. n.*

4. *Syl. eod. ver. nu. 7.*

3 Mobilia pretiosa, quæ seruari possunt interdum æquiparantur immobilibus.

* *Syl. l. c. 9. Fum. l. c. 3.*

4 In bonis mobilibus, vel immobilibus iura etiam & actiones comprehenduntur, ex consuetudine potius, quàm ex iure.

* *Vide Syl. l. c. nu. 8. Mol. d. 202. Couar. c. relatum de test. nu. 1. Oldrad. consi. 219. l. nam quid §. vlt. & l. si legatus. ff. ad Treb.*

B O N V S V I R.

1 **B**onus vir in Foro quidem exteriori intelligitur iudex; in interiori autem, vir prudens & timoratus.

C A L I X.

1 **C**alix tornatilis, in quo scilicet pes à cyatho separari potest, per eam separationem non perdit consecrationem.

* *Fu. Calix. 2. Sua. t. 3. d. 81. sect. 7. col. 4. ex viuētium Doct. sententia, & ex vsu contra Syl. Calix. 2.*

2 Calici non perit consecratio, si deauratio per vsu decidat, si tamen de nouo deauratur, solet iterum consecrari.

* *Syl. Sua. l. c.*

3 Calicem solus Episcopus solet consecrare.

* *Christ.*